17

2DA

Hab

PRIN

ACTA

2DÆ. SYNODI DIŒCES[ANÆ]

SANCTI GERMANI DE RIMOUSK[I]

Habitæ 26a., 27a., et 28a. diebus A[ugusti]

1879



NECNON

CONSTITUTIONES SYNODALES

Latæ et promulgatæ in dicta Synodo
ab Illmo. ac Revmo. DD.

JOANNES LANGEVIN

PRIMO EPISCOPO SANCTI GERMANI DE RIMOUSKI

RIMOUSKI
Ex Typis "A. G. Dion"
1879

2

H

PR

ACTA
2DÆ. SYNODI DIŒCES[ANÆ]

SANCTI GERMANI DE RIMOUSK[I]

Habitæ 26a., 27a., et 28a. diebus A[ugusti]

1879



NECNON

CONSTITUTIONES SYNODALES

Latæ et promulgatæ in dicta Synodo
ab Illmo. ac Revmo. DD.

JOANNES LANGEVIN

PRIMO EPISCOPO SANCTI GERMANI DE RIMOUSKI

RIMOUSKI
Ex Typis "A. G. Dion"
1879

2DÆ.

S

Habita

CON

Lata

J

PRIMO EPI

E

Joseph E. Pelletier
clerc
22 oct 1882

ACTA

2DÆ. SYNODI DIŒCESANÆ

SANCTI GERMANI DE RIMOUSKI

Habitæ 26a., 27a., et 28a. diebus Augusti
1879



NECNON

CONSTITUTIONES SYNODALES

Latæ et promulgatæ in dicta Synodo
ab Illmo. ac Revmo. DD.

JOANNES LANGEVIN

PRIMO EPISCOPO SANCTI GERMANI DE RIMOUSKI

RIMOUSKI
Ex Typis "A. G. Dion"

SEC

Dei

Dilec

S.

I
prima
ratore
ut de
expen
gata e

H
rabiliu
træ, nc
convoc
proxim

In
in exeq
modific

ACTA

SECUNDÆ SYNODI DIŒCESANÆ STI. GERMANI DE RIMOUSKI

LITTERÆ PRO SYNODI CONVOCATIONE

JOANNES LANGEVIN,

Dei et Apostolicæ sedis gratia primus Episcopus Sancti Germani de Rimouski,

Dilectis in Christo Cooperatoribus nostris, curam animarum gerentibus, omnibusque ex nostræ diœcesis Clero Filiis,

SALUTEM ET BENEDICTIONEM IN DOMINO

Fere elapsum est secundum lustrum a sessione primæ diœcesanæ Synodi nostræ, Dilectissimi Cooperatores, et tempus pridem opportunum Nobis videtur ut denuo convocentur presbyteri, ut cum clero nostro expendamus quanto profuerint Statuta tunc promulgata et quænam præsentes necessitates requirerent.

Hisce igitur nostris litteris, de consilio Venerabilium Capituli et Canonicorum cathedralis nostræ, nobis visa est secunda Synodus diœcesis nostræ convocanda, et in Seminario nostro die 26a augusti proximi sessura. Pridie habebitur actio præsynodalis.

In hoc cœtu peculiari modo agitabuntur exitus in exequendis usque nunc primæ Synodi Statutis, modificationesque vel elucidationes eisdem afferendæ;

et dein novas Constitutiones elucubrabimus quæ postulabuntur præ cleri populique statu.

Ne in parœciis interea deficiat competens numerus sacerdotum, ad hanc Synodum vocamus :

Vicarium generalem nostrum,

Capituli præpositum et nostræ cathedralis canonicos,

Cancellarium, secretarium, et adjutorem secretarii Episcopatus nostri,

Seminarii nostri rectores,

Vicarium foraneum nostrum pro Gaspesia et omnes archipresbyteros,

Omnes denique parochos qui hoc anno spiritualibus exercitiis interesse debent. Cœteri autem parochi a nostra episcopali civitate non ablonge residentes, si prudenter arbitrantur a parochia absentare, poterunt etiam adesse.

Ut autem primo in deliberationes nostras cœlestium luminum abundantiam exposcamus, jubemus omnes diœcesis sacerdotes in missa recitare collectam de *Spiritu Sancto*, servatis rubricis, a prima die augusti ad finem Synodi. Volumus insuper universos christifideles rogatos ut domi in hunc finem pias fundant preces.

In quatuor vero primis dominicis mensis augusti proximi, post parochialem missam, sequentia *Veni, Sancte Spiritus*, ante consuetas preces *pro Papa et Ecclesia*, ad eamdem intentionem cantabitur.

Datum apud Stum Germanum de Rimouski in nostra episcopali domo, sub signo sigilloque nostris ac secretarii nostri chirographo, hocce primo die julii A. D. 1879.

† JOANNES, EPUS. STI. GERMANI DE RIMOUSKI,
De mandato Illmi. ac Revmi. Eppi Sti. Germani,
ALF. P. PHILLIPS, Pter *A Secretis.*

Juxta Cœremoniale Episcoporum (Lib. I, Cap. XXXI, 3) per unum mensem ante dictam diem 26 am. Augusti Schedula manu cancellarii subscripta, ecclesiae cathedralis valvis affixa est subsequenti tenore :

" *Secunda Synodus Diœsesana St. Germani de Rimouski*
" *per Reverendissimum Dominum D. Joannem Langevin, pri-*
" *mum Episcopum Sancti Germani de Rimouski, indicta, die*
" *vigesima sexta Augusti currentis anni, Deo adjuvante, in*
" *cathedrali ecclesia inchoabitur.*"

C. A. CARBONNEAU, Pter., *Cancellarius.*

ORDO IN SECUNDA SYNODO DIŒCESIS STI. GERMANI DE RIMOUSKI SERVATUS.

I. Post Episcopum, primum locum tenebat vicarius generalis ;

Secundum, praepositus capituli atque titulares et honorarii canonici ;

Tertium, notarius apostolicus *ad instar ;*

Quartum, secretarius seu cancellarius Episcopi ;

Quintum, majoris minorisque seminarii rectores, juxta ordinationis tempus ;

Sextum, vicarius foraneus et archipresbyteri, secundum ad hoc munus promotionis tempus ;

Septimum, parochi et missionarii, in ordine quo parœciæ seu missioni præfecti sunt. Quod si plures eodem die præfecti fuerint, spectabatur tempus ordinationis ; et si etiam in ordinationis die convenerint, habita est ratio ætatis.

II. Quinque erant Congregationes privatæ, videlicet : 1o de disciplina ecclesiastica ; 2o de cultu ; 3o de parochiarum administratione ; 4o de juventutis institutione ; 5o de reformatione.

III. Congregationes generales ex omnibus ad synodum vocatis, necnon ex officialibus, constabant. Praeses erat vicarius generalis, ipsoque absente, primus canonicorum.

IV. Officiales erant sequentes ; duo Promotores, unus urbanus, alter ruralis ; Cancellarius seu Notarius et substituti : caeremoniarum Magister cum substitutis ; duoque Cantores.

V. Reliqua omnia ut in prima Synodo ordinata sunt.

Modus vivendi in synodo

5½a hora A. M.	Surrectio
A 6 ad 6½am	Oratio mentalis
7¼	Sessio solemnis
A 10 ad 11am	Congregationes privatæ
11¼	Examen conscientiæ
11½	Prandium
A 12a ad 1½am P. M.	Relaxatio

A 2a ad 4am.......................... Congregationes privatæ
A 4a ad 4½.......................... Relaxatio
A 5a ad 6am.......................... Congregatio generalis
A 6a ad 6½am.......................... Expositio SS. Sacramenti
6½ .... Cœna
A 7a ad 8am.......................... Relaxatio
A 8a ad 9am.......................... Congregatio generalis
9a .... Oratio vespertina

NOMINA EORUM QUI AD SECUNDAM SYNODUM SPECIALITER VOCATI SUNT.

Reverendissimus Edmundus Langevin, vicarius generalis et præpositus Capituli cathedralis.

Revus Ludovicus Desjardins, canonicus, archipresbyter et parochus Stae. Caeciliae, vulgo *Bic.*

Revus Joannes Baptista Blanchet, canonicus, archipresbyter et parochus Stae. Luciae.

Revus Petrus Carolus Alphonsus Winter, canonicus et parochus a Decollatione S. Joannis Baptistae, vulgo *Ile-Verte.—Aberat.*

Revus Martialis Richardus Bilodeau, canonicus et parochus Sti. Anacleti.

Revus Desiderius Vezina, canonicus, archipresbyter et parochus N. D. ad Nives, vulgo *Trois-Pistoles.*

Revus Josephus Julianus Auger, canonicus et parochus Stae. Annae vulgo *des Monts.—Aberat.*

Revus Ferdinandus Elzearus Couture, artium magister, canonicus, præfectus studiorum minoris seminarii, et philosophiæ professor.

Revus Josephus Octavius Simard, canonicus pœnitentiarius et parochus ex officio ecclesiæ cathedralis.

Revus Carolus Alphonsus Carbonneau, sacræ theologiae baccalaureus, canonicus, cancellarius ac secretarius diœcesis.

Revus Ludovicus Jacobus Langis, baccalaureus artium, canonicus theologalis, professor theologiae dogmaticae et moralis, ac moderator tum majoris, tum minoris seminarii.

Revus Joannes Cleophas Cloutier, canonicus honorarius, archipresbyter et parochus Sti. Georgii vulgo *Cacouna*.

Revus Francisus Adelmus Blouin, canonicus honorarius, archipresbyter et parochus Sti. Josephi vulgo *Carleton*.

Revus Petrus Josephus Saucier, canonicus honorarius, vicarius foraneus et parochus Assumptionis N. D. vulgo *Grande-Rivière*.

Reverendissimus Carolus Guay, protonotarius apostolicus *ad instar* et parochus N. D. a SS. Corde Jesu

Revus Alfredus Percy Phillips, sacrae theologiae baccalaureus et adjutor secretarii diœceseos.

Revus Ferdinandus Pineau, procurator seminarii dioecesani.

Revus Hermelus Tremblay, œconomus seminarii dioecesani.

Revus Napoleo Thivierge, archipresbyter et parochus Sti. Bonaventurae.

Revus Odomarus Normandin, archipresbyter et

parochus Imm. Conceptionis N. D. vulgo *du Lac.*—*Aberat.*

Revus Josephus Dumas, parochus Sti. Eligii.

Revus Franciscus Maglorius Fournier, parochus Sti. Arsenii.

Revus Carolus Godefridus Fournier, parochus Stae. Flaviae.

Revus Petrus Audet, baccalaureus artium, parochus Sti. Fabiani.

Revus Narcissus Levesque-Lafrance, parochus Sti. Georgii vulgo *Port-Daniel* et Sti. Dominici vulgo *New-Port.*

Revus Polydorus Moreau, sacrae theologiae ac pholosophiae doctor, jurisque canonici baccalaureus, parochus Sti. Joannis Evangelistae.

Revus Ludovicus Nicolaus Bernier, parochus Sti. Epiphanii.

Revus Lucas Rouleau, parochus Sti. Hieronymi, vulgo *Matane.*

Revus Franciscus Xaverius Bossé, parochus Sti. Michaelis, vulgo *Percé.*

Revus Josephus Octavius Drapeau, parochus Sti. Ulderici.

Revus Philippus Moreault, parochus Sti.Norberti, vulgo *Cap-Chat.*

Revus Josephus Maglorius Moreau, parochus Sti. Modesti.

Revus Alfredus Jessé Perusse, parochus Sti. Moïsis.

Revus Majoricus Bolduc, parochus Sti. Patritii, vulgo *Douglastown.—Aberat.*

Revus Ulfrancus St. Laurent, parochus Sti. Ludovici et Sti. Honorati.

Revus Ferdinandus Audet, parochus Sti. Donati et Sti. Gabrielis.

Revus Amandus Lacasse, parochus Stae. Franciscae.

Revus Jacobus Zebedaeus Jean, parochus N. D. Septem Dolorum.

Revus Thomas Cypriamus Duret, parochus Sti. Martini vulgo *Rivière-au-Renard.*

Revus Josephus Napoleo Chrétien, parochus Sti. Caroli, vulgo *Caplan.*

Revus Alfredus Vigeant, administrator parœciae Sti Francisci-Xaverii.

Revus Ludovicus Stévenart, missionarius Stae. Rosae vulgo *du Dégélé.*

Revus sephus St. Laurent, missionarius Stae. Cœciliae, vulgo *Cloridorme.*

Revus Octavius Drapeau, missionarius Stae Annae vulgo *Ristigouche.*

Revus David Lebel, missionarius Sti. Clementis.

Revus Philippus Sylvain, vicarius parochi Decoll. Sti. J. Btae. vulgo *Ile-Verte.*

Revus Carolus Ernestus Trudel, professor in minori seminario.

NOMINA OFFICIALIUM SYNODI.

Promotores : Rev. DD. canonici Vézina et Langis.

Cancellarius et Notarius : Rev. D. can. Carbonneau.

Substituti : Rev. DD. Trudel et Sylvain.

Magister Cæremoniarum : Rev. D. can. Simard.

Substituti : Rev. DD. Ulf St. Laurent et Phillips.

Cantores : Rev. DD. Thivierge et F. M. Fournier.

JUDICES QUERELARUM ET EXCUSATIONUM.

Revmus. D. Edmundus Langevin, vic. gen. et præpositus capituli cathedralis : Rev. D. can. Bilodeau et Rev. D. Petrus Audet.

NOMINA EORUM QUIBUS CONSTABANT CONGREGATIONES SYNODALES.

Præses Congregationis generalis.—Revmus Ed. Langevin, vicarius generalis, cum licentia cunctas congregationes privatas adeundi.

1 CONGREGATIO DE DISCIPLINA.

Rev. D. Blouin, *præses ;* Revmus. D. Guay ; Rev. DD. P. Audet ; J. O. Drapeau, Ph. Moreault, J. F. Audet, Ulf. St. Laurent, *secret.* et Trudel.

2 CONGREGATIO DE CULTU.

Rev. D. can. Blanchet, *præses :* Rev. DD. Dumas, Vigeant, *secret.*, Jos. St. Laurent, Oct. Drapeau, Pineau, Lebel et Phillips.

3 Congregatio de administratione parochiali.

Rev. can. Desjardins, *præses;* Rev. DD. canonici Bilodeau, Simard et Carbonneau, *secret.;* Rev. DD. Cloutier, F. M. Fournier, C. G. Fournier, Bossé et J. M. Moreau.

4 Congregatio de juventutis institutione.

Rev. can. Vézina, *præses;* Rev. DD. canonici Couture et Langis, *secret;* Rev. DD. Lévesque, Pol. Moreau, Rouleau, Duret, Sylvain et Tremblay.

5 Congregatio de reformatione.

Rev. D. Saucier, *præses;* Rev. DD. Thivierge, *secret.*, Stévenart, Bernier, Pérusse, Lacasse, Jean et Chrétien.

CONGREGATIO PRÆPARATORIA.

Jam ad finem vertentibus spiritualibus exercitiis, pridie Synodi, hora quarta post meridiem, secundum præviam intimationem, convenerunt in aula maxima seminarii, sacerdotes scripto ad Synodum convocati, et præsidente RR. Episcopo, stola rubri coloris induto super rocchettum et mozzettam, lumen Spiritus Sancti invocaverunt.

Tunc, canonicis Episcopo circumsedentibus in suggesto, a Cancellario lecta sunt sequentia :

1. Litteræ convocationis Synodi secundæ,
2. Ordo servandus in Synodo,
3. Schedula exhibens officialium nomina, diversas congregationes inter quas Synodales dividentur, ac judices querelarum et excusationum,

4. Modus vivendi per Synodum, omnia ut supra,
5. Sessionis sequentis diei cœremoniale.

Benedixit Revmus Episcopus insignia canonicorum, id est, annulum pastorale, rocchettum et cappam, et omnes mox ad sacellum succederunt, ut Sanctissimum adorarent, cantata liturgica invocatione.

Deinde, hora octava, particulares congregationes seorsim habitæ sunt ad eligendos secretarios.

PRIMA SESSIO SOLEMNIS.

Anno Domini octingentesimo septuagesimo nono supra millesimun, die vigesima sexta augusti, hora septima cum quadrante, a domo episcopali ad cathedralem ecclesiam processionaliter comitati sunt Illmum ac Revmum Episcopum canonici et reliquus clerus præcedente cruce delata inter duos acolytos cum candelis accensis. Synodales stolam rubri coloris gerebant, Pontifex vero et canonici rocchettum, cappam et annulum pastorale. Omnes per viam cantabant litanias lauretanas; missa de Spiritu sancto absque ulla commemoratione pontificaliter celebrata est, et, cum Episcopus, depositis planeta et tunicellis, pluviale induerit, oratio ad populum habita est a Rev. Patre Baudevin, S. J., qui et spiritualia exercitia direxerat.

Tum incepta est Sessio, juxta Pontificale.

Sedens Episcopus in faldistorio cum mitra allocutionem habet e plano altaris ad Synodales, ut sequitur:

Sermo Revmi. Episcopi ad Synodum.

Venerabiles Fratres et Dilectissimi Cooperatores,

Non sine maxima lætitia majorem partem sacerdotum nostrorum, elapsis jam novem annis, denuo circa Nos coadunatam videmus, ut cum illis spiritualibus commodis diœceseos incumbamus.

Considerationem nostram præsertim intendere curabimus, stante hac Synodo, in modum quo observata sunt statuta in praecedenti promulgata, et in fructus ex his ductos.

Necessario sane premenda erunt quædam capita ; alia forte nonnulla flectere proderit.

In rebus tractandis eminebitis, ut fidem habemus, sapientia, temperantia consilii, zelo animarum et mutua charitate.

Nullum dubium habemus quin omnes de creato capitulo in cathedrali, de novo diœcesano seminario erecto, et de invalescentibus religiosis domibus nostris lætemini.

Simul Domino gratias agamus quod in omnia ista opera prosperitatem infuderit, et a Deo Optimo petamus lucem et benedictionem in hanc diœcesanam Synodum, ut recte cedat, et in gloriam divinam, cleri populique maximum beneficium evadat.

Postea rogant ab Episcopo Promotores pridie selecti Statuta consueta, sicut in prima Synodo, quæ proclamantur, scilicet :

De aperienda Synodo : in quo post S. Joseph fit

mentio Stæ Annæ, patronæ hujus provinciæ.

De non discedendo :

De nominum proclamatione.

Deinde proclamatur decretum *De professione fidei ;* legitur formula jussu SS. PP. Pii IV et Pii IX redacta et qui intersunt singuli jurant cum Evangelii tactu in manibus Episcopi.

Jubet Episcopus in supplicationibus durante Synodo addi *Pro. SSmo.Dno. nostro Leone Papa Decimo Tertio.* Proclamato decreto *De residentia,* Synodus a Pontifice dimittitur cum benedictione.

SECUNDA SOLEMNIS SESSIO

Die vigesima septima, hora statuta convenerunt Synodales in ecclesia cathedrali; et celebrata missa a Rev. canonico Desjardins, coram Illmo. Episcopo infulato, cantatus est hymnus *Veni Creator.*

Ante Pontificem sisterunt promotores, et rogaverunt promulgationem Constitutionis excerptæ ex præscriptionibus episcopalibus editis in festo Sanctorum Omnium, anno millesimo octingentesimo septuagesimo septimo et jam in prima Synodo in globo promulgatis. Ex ambone a secretario legitur eadem, quæ complectitur tria et viginti capita : de sacramentis ; de rubricis, ritibus et sacra missa ; de sacristia ; de ecclesiæ ministris ; de publicis officiis ; de sepulturis ; de taxa (*tarif*) ; de ecclesia ; de cœmeteriis ; de fabricis ; de missionibus ; de regestis ; de habitu clericali ; de residentia ; de verbo Dei annuntiando ; de catechismo ; de prima communione ; de scholis ; de

diœcesanis operibus; de annuis relationibus super statu parœciarum; de juniorum presbyterorum examine super theologiam et orationibus scripto redactis ; de societate pro infirmorum sacerdotum sustentatione ; et de titulo clericali.

Pauca verba addidit Reverendissimus Episcopus et benedictione solemni cœtum dimisit.

TERTIA ET ULTIMA SESSIO.

Vigesima octava die augusti, in festo S. Augustini, Doctoris Ecclesiæ et Episcopi, eadem hora, Episcopo pontificaliter induto, celebrata est missa a præposito capituli cathedralis. Postea adhibitis solitis cœremoniis, promulgantur decem nova Statuta quorum sequuntur tituli :

De capitulo eclcesiæ cathedralis ;
De casibus reservatis ;
De seminario ;
De relationibus presbyterorum cum mulieribus ;
De parochorum translatiome ;
De matriculariis ;
De cura in inquirendo super baptismi collati validitate ;
De debita ad matrimonii sacramentum præparatione ;
De choreis ;
De meliori gregis parte.

Tum petentibus promotoribus, vocantur omnium nomina, et quisque respondet : *Adsum.*

Postulatur dein conclusio Synodi, illique finem imponit Revmus Episcopus, præsentem clerum his adhortationibus alloquens :

"Venerabiles Fratres et Dilectissimi Cooperatores,

"Sedente præsenti Synodo, ob oculos nostros versari debuerunt necessitates primo cleri, et dein populi.

"Si hæc verba ad omnes proclamat Angelus Apocalypsis: " *Qui justus est, justificetur adhuc et sanctus sanctificetur adhuc,* " (1), quam apposite potissimum eadem verba strepere debent in auribus sacerdotis, tam sublimibus facultatibus amicti, tam verendis muniis decorati, tam onerosæ sponsioni obnoxii? Ut fastigia attingat a Deo volita et demonstrata, totum spatium suæ vitæ dividendum est inter orationem, studium, et sacrum ministerium.—In mundo viventi, ei non licet esse de hoc mundo ;–coactus cum hominibus degere, illis præbere bene vivendi exempla et omnibus viam ad salutem opportunis verbis significare ;—munere peccatorum vitia castigandi functus, inter flagitia stare debet, sicut lilium inter spinas(2).—Vix unquam igitur competenti morum sanctitate pollere poterit, idoneo zelo in muneribus obeundis, apta in ecclesiasticis regulis observandis diligentia.

" Ad hunc tam optandum scopum obtinendum, Carissimi qui mecum in Vinea Domini collaboratis, lata sunt Statuta, quæ nobis visa sunt in hac Synodo promulganda ;—huc omnes incessanter tendere debemus, memores etiam ut Nobis successores secundum cor Dei, suscitemus, foveamus et propugnemus ecclesiasticas vocationes.

" Fidelium autem nobis commissorum nullus

(1) Apoc. XXII, 11. (2) Cant. II, 2.

effugiat pastoralem sollicitudinem nostram, cum, ut Apostoli verbis utamur (1), debemus omnibus omnia fieri, ut omnes faciamus salvos.

" Justos, animas inprimis pietate præcellentes, incitamus ut in virtute et in perfectione de die in diem crescant; hi melior pars gregis sunt, gaudium nostrum et consolatio nostra. Minus ergo quam unquam laboribus nostris parcemus, ad fulciendum harum constantiam et sanctificationem selectarum animarum.

" Peccatorum conabimur errores demere, facinora coercere, et aperire pericula suam libidinem consequentia.

" Erga parentes et pueros, senes et juvenes, æque curas nostras partiemur: utinam zelo nostro et vigilantia inducantur omnes recte muniis suis obeundis !

" In haec præcipue animum nostrum defiximus, coadunata Synodo, deque illis Constitutiones promulgavimus.

" Nunc Dominum rogemus ut largam benedictionem in nostra consilia et Statuta, in populum fidelem, in pastores et adjutores infundat.

"Perseveremus interea in supplicationibus nostris pro Sanctissimo Domino nostro Leone, pro Sanctae Ecclesiae tranquilitate et pro Regina nostra.

"Et Dominus sit semper nobiscum."

Illico Praesul hymnum *Te Deum* intonat, quem prosequitur chorus.

(1) I. Cor. IX, 22.

Tunc, cantoribus psallentibus psalmum *Conserva me*, canonici et omnes alii Pontifici reverentiam praestant, quibus ipse dat pacis osculum. Sese postea invicem osculantur, dum canitur psalmus: *Ecce quam bonum.*

Trina benedictione et indulgentiarum concessione dimittitur clerus, et processionaliter ad episcopales aedes redit.

Relatio judicum querelarum et excusationum.

Illme. ac Revme. Dne.

Infrascripti *Judices excusationum et querelarum* ab Amplitudine Tua constituti, praesentem relationem humiliter tradimus de illis qui vocati ad Synodum absunt.

Inter quatuor absentes quique sufficientem excusationem porrigit:

RR. canonicus Winter cum licentia A. T. verbum Dei annuntiat in certis partibus Statuum Fœderatorum et cum zelo adlaborat pro colligendis pecuniis in favorem Seminarii.

RR. canonicus Auger apud parochiam Stae. Annae remansit mandato A. T. durantibus spiritualibus exercitiis, ne parochiae archipresbyteratus sui longiore tempore renanerent orbatae auxilio.

R. archipresbyter Normandin in parochia *N. D. du lac* aeque praeponitur spirituali custodiae sui archipresbyteratus.

Tandem R. parochus Maj. Bolduc, aegrotatione impeditus, abesse coactus est.

Non dubitamus quin omnes parochiarum regimini adstricti, qui ad Synodum vocari non valuerunt, maximo desiderio ad eamdem concurrendi arserint, et inviti non interfuerint.

Corona sunt sui Antistitis et lætantur toto corde cum circa ejus sacram personam adstant ut vocem ejus audiant et salutaribus mandatis et consiliis pareant.

Amplnis Tuae devotissimi servi ac filii,

EDMUNDUS LANGEVIN, *Vic.-Gen.*
M. R. BILODEAU, Pter., Can.
P. AUDET, Pter., Parochus.

Dabamus apud Stum Germanum,
die 27 augusti, 1879.

Suprascriptam relationem approbamus. Nos certe non latet longam locorum distantiam et exiguum presbyterorum numerum, non voluntatem adversam impediisse ne omnes Synodo adessent.

† JOANNES, EPUS. STI. GNI. DE RIMOUSKI.

Constitutiones Synodales

Latæ et promulgatæ in secunda Synodo
ab Illmo. ac Revmo. DD.

JOANNE LANGEVIN

PRIMO EPISCOPO SANCTI GERMANI DE RIMOUSKI

I. DE DISCIPLINA DIŒCESANA

(*Jam anno* 1867 *edita*)

CAP. I. DE SACRAMENTIS.

De Baptismo.—1. Baptismus, saltem a prima die junii ad calendas octobris in ecclesia conferri debet.

2. In quavis parochiali ecclesia prope januam erigi debet fons baptismalis, juxta Rituale.

3. Hiemali tempore omnia administrationi hujus sacramenti necessaria, recondi debent in sacristia seorsim a quibuscumque aliis, in armario clave clauso.

4. Curare debet parochus ne pueris, cum baptizantur, ridicula, impia vel fictiones redolentia imponantur nomina ; bene vero ut accipiant nomina Sanctorum quos in exemplum assumere possint pueri.

De Confirmatione.—1. Cum Episcopus suam intentionem declarat Confirmationem administrandi in aliqua parœcia, parochus plures prævias hebdomadas

impendere debet, in docendo confirmandos doctrinam, non solum de sacramento Confirmationis, sed etiam de universis scitu necessariis. Confirmandi insuper singuli de toto catechismo interrogandi sunt.

2. Juxta formam in Rituali praescriptam describi debent confirmati in libro proprio.

De Pœnitentia.—1. Collocanda est in quavis parochiali ecclesia saltem una sedes confessionalis, secundum Ritualis instructionem.

2. Pluribus minoribus sedibus aeque crate perforatis inter pœnitentem et sacerdotem instructae sint ecclesiae et capellae missionum, ut semper illis utantur presbyteri in confessionibus audiendis, quantum possibile sit.

3 Aperturae in cratibus terebratae circiter dodrante unciae constent.

4. Audiendæ sunt confessiones in ecclesia saltem a prima die junii ad calendas octobris.

De Eucharistia—1. Omnes liturgicæ præscriptiones ad unguem observandae sunt quoad SS.Eucharistiæ custodiam, distributionem, expositionem et delationem.

2. Pyxidem ejusque operculum intus deaurata esse oportet.

3. Non possunt parochi nisi cum licentia Episcopi Sanctissimum exponere nec ideo ritum et cantum benedictionis adhibere. In hac diœcesi, norma benedictionis observabitur tradita in opere: *Petit Cérémonial*, fol. 67 et seq. (edit. 1874)

De Extrema Unctione.—1. Non a laicis deferri permittatur Oleum Infirmorum.

2. Custodiendum est domi vel in sacristia et ad infirmos deferendum cum reverentia, cunctis observatis quæ in Rituali præscribuntur.

De Ordine.—Ministros Ecclesiæ exhortamur ad celebrandum quoquo anno anniversarios dies in quibus ad primam tonsuram et ad quosvis ordines promoti sunt.

2. A parochis grave munus habeatur vitae et moribus juniorum clericorum invigilare qui intra parœciae fines degunt, tempore quo seminarium vacat, (II Conc. Prov. Quebec. Decretum *de parochis et aliis animarum curam gerentibus*—21.)

De Matrimonio.—1. Parochos et missionarios deputamus et delegamus ut, cum futuri sponsi dispensationibus indigent, inquisitionem instituant. Sedulo igitur inquirere debent de impedimentis quae inter contrahendos existere creduntur, cum petunt isti ut sua desponsatio in ecclesia proclametur, et recognoscere gradum consanguinitatis vel affinitatis, mediante *tabella genealogiæ* scripta ex declarationibus parentum, imo quandoque inspectis regestis seu *actis status civilis*, ut aiunt.

2. Quando exoritur dubium aliquod de contracturorum libertate, vel si quaestio sit de advena qui imparem libertatis probationem exhibet, colligant parochi testimonia quæ ad rem pertinent, et in posteriori casu ad Episcopum transmittant cuncta, ut ab illo causa dirimatur.

3. Parochi exposcentibus dispensationes semper porrigant supplicem libellum ad Superiorem directum, ut sublevetur omne doli periculum ex parte futurorum. Fidem aeque debent facere num illorum facultates pares sint ad componenda solvenda, et eos avertere ab impensis incurrendis antequam constet de dispensatione concedenda.

4. Nunquam proclamentur banna contracturorum, quando requiritur aliqua dispensatio, nisi certe concessa sit.

5. Testes matrimonii propius adstare debent sponsis ut illorum consensum possint affirmare, etiam cum juramento.

6. Quae componuntur pro dispensationibus semper solvenda sunt ante matrimonii celebrationem.

Cap. II. De Liturgia.

De Rubricis.—1. Optandum est ut quovis anno rubricas Missalis et Breviarii recolant sacerdotes.

2. Specialem ordinem officii divini celebrandi vel recitandi in festo aut solennitate Titularis ecclesiae suae quivis parochus seu missionarius, recurrente anno novo, ad Nos tempore opportuno submittat approbandum.

De Ritibus.—1. Quilibet sacerdos caeremoniarum librum accurate volvere debet, et ritus apprime sequi.

2. Unusquisque parochus seu missionarius formare debet cantores et clericos parochiales, certis diebus, (verbi gratia, dominicis post quatuor tempora), ad caeremonias, potissimum raras, ut apte illas per-

solvere valeant. Directorem chori deputet qui rebus gerendis det operam.

De Sacra Missa.—1. Missa privata absolvi non debet nisi lapsa tertia parte horae.

2. Missalia nitida, correcta et completa servanda sunt.

3. Antependuli altaris color congruere debet cum officio diei.

CAP. III. DE SACRISTIA.

1o In unaquaque sacristia inveniri debet ad vestimenta deponenda decens vestiarium, clave obseratum.

2o Hic etiam adesse debet lavatorium cum manutergis, et charta cum precibus ad præparationem ante missam et gratiarum actiones post missam.

3o Ibi suspendatur missarum fundatarum tabula, simul ac altaris privilegiati diploma (si concessum fuerit).

4o Grave silentium in sacristia servetur, et si necessitas ad aliquomodo ibi colloquendum cogat, illud voce submissa fiat.

5o In omnibus parœciis in quibus id fieri potest, habeantur albi, rubri, violacei et nigri coloris pluvialia.

CAP. IV. DE ECCLESIÆ MINISTRIS.

1o Ad parochum pertinet obtinere ut unusquisque ex ministris ecclesiæ fideliter suo munere fungatur.

2o Curare debet ut a sacrista bene et sedulo

pulsentur campanæ ad precem dictam *Angelus*, ad officia, missas privatas, defunctorum mortem denuntiandum, St. Viaticum ad moribundum deferendum, etc., secundum regulas in *Appendice ad Rituale* datas.

3o In choro non incedat sacrista, speciatim circa altare, nisi superpelliceo indutus.

Cap. V. De Publicis Officiis.

1o Valde interest ut incipiantur officia, cantata missa specialiter, hora statuta, et non interponatur mora sub praetextu confessiones audiendi, etc.

2o Regulariter non cantabuntur vesperae ante unam horam post meridiem, sine Ordinarii permissu, nisi quum aliter praescribit rubrica, vel quum hieme sævit procella.

3o Quum datur Sanctissimi Sacramenti benedictio, tantum bis incensum offeratur, primo quum super tabernaculum positum fuit ostensorium, secundo quum incipitur *Genitori*.

Cap. VI. De Sepulturis.

1o Nulla sepultura locum habeat nisi post obitum saltem viginti quatuor horae dilapsae fuerint, pestilentiae casibus.

2o Satagere debent parochi ut cantetur missa corpore praesente pro singulis parochianis qui, post usum rationis adeptum, e vita discedunt.

3o In sepultura peragenda, omnia graviter, devote ac decenter sese habeant.

Cap. VII. De Taxatione (*Tarif.*)

1o Quisque parochus vel missionarius taxationem ab Episcopo statutam servet.

2o Nihil in hoc puncto innovetur vel addatur, nisi cum Episcopi licentia.

Cap. VIII. De Ecclesia.

1o Volumus ut nullus parochus vel missionarius decernat vel incipiat constructionem, reparationem vel ornationem ecclesiae, curiae (*presbytère*), vel alicujus aedificii ad usum parochi, antequam talis operis rationes Episcopo expositae fuerint et ab illo approbatae.

2o Absolute prohibemus ne aliqua fiat mutatio in descriptionibus ab Episcopo approbatis, et illud sub pœnis canonicis inponendis ad Episcopi arbitrium.

3o Ecclesiae januae ita disponantur ut extra aperiri possint.

Cap. IX. De Cœmeterio.

1o Omnes canonicae regulae circa cœmeterium serventur.

2o Videant parochi ut inscriptiones quae super in sepulchra ponendae sunt, fuerint antea ab ipsis approbatae.

3o Invigilare etiam debent ut semper in caemeterio servetur silentium, speciatim quando habetur aliqua inhumatio.

Cap. X. De Fabricis.

1o Volumus ut fideliter observetur quod praescribitur a Quebeci provincialibus conciliis et in *Appendice ad Rituale* de fabricae bonorum administratione, de modo rationis libros scribendi et conferendi, de usu acceptæ pecuniæ, etc.

2o Quivis parochus curare debet ut recepta cujusque anni in fasciculis custodiantur, itemque dispensationes, Episcopi mandata, pastorales litteræ, epistolæque circulares, et relinquantur successori, quum e parœcia discedit.

3o Tenetur stricte parochus obtinere ut episcopalia mandata, in visitatione vel aliter data, executioni mandentur, et si effectum non habent, vituperium in se ipsum ciebit.

4o Dominicarum et *Infantis Jesu* collectiones ut pars fabricæ redditunm habeantur.

Cap. XI. De Missionibus.

1o Quum locus aliquis, ubi ministerium exercetur pastorale, nondum fuit canonice erectus uti paroecia, vocatur tunc *missio*.

2o Fabricam non habet missio; ibi igitur non sunt eligendi matricularii.

3o Missionarius suæ capellæ bonorum curam habere debet, et, ut minuatur onus, communiter illi ab Episcopo adjunguntur duo vel tres syndici.

4o Omnia hic possideri debent nomine *Corporis Episcopalis Catholici Romani Sti Germani de Rimouski*,

quando bonorum acquisitio per syndicos *ad hoc* designatos non fit.

5o Missionum rationis libri, accurate scripti, quotannis Episcopo ostendi debent ante 1am diem octobris a missionario vel syndico illi muneri addicto, juxta formulam in *Appendice ad Rituale*.

6o Prohibemus ne, in nostræ diœceseos missionibus, sine expressa nostra licentia, minima expendatur pecuniæ summa pro aliis rebus quam ad cultum necessariis.

CAP. XII. DE REGESTIS.

1o Regesta in quibus inseruntur baptismatis, matrimonii et sepulturæ acta, scribi debent juxta omnes Ritualis et legis civilis præscriptiones.

2o Cuique parocho incumbit onus bene custodiendi vetera regesta parœciae quam regit.

CAP. XIII. DE HABITU CLERICALI.

1o In hac diœcesi, clericalis habitus consistit in veste talari, laneo cingulo, collari romano, et, æstivo tempore, petaso cum amplis limbis. Superior habitus magis conveniens est romanum pallium.

Nigri coloris et juxta formam ecclesiasticæ conditioni adaptatam esse debent omnia illa vestimenta.

2o Æstate, straminei petasi permittuntur, dummodo sint decentes et nigri coloris.

3o Decentia etiam esse debent calceamenta. Cum calceis (*souliers*), nigri coloris sint fasciæ crurales (*bas*).

4o Semper sit apparens tonsura et cuique ordini proportionata.

Cap. XIV. De Residentia.

1o Servari debet residentia juxta canonicas leges et juxta nostra provincialia concilia.

2o Valde optandum est tamen ut parochi et missionarii aliquem e vicinis suis, semel in hebdom. laudabilem usum invisendi custodiant. Sic valde portunum invenitur medium unionem et regularitem inter cleri membra nutriendi.

Cap. XV. De Verbo Dei Annuntiando.

1o Omnia quæ a Tridentina Synodo et a secundo Quebecen. nostro concilio præscribuntur de prædicatione verbi Dei, observanda sunt a parochis et missionariis.

2o Cuncta capita religiosae doctrinae exponi debent successive in gradatis instructionibus, quæ per quatuor circiter annos evolvi possent.

3o Qui suam limitant prædicationem in reprehensione quorumdam flagitiorum, vel mera condemnatione cujusdam vestium formæ, populum non edocent uti illis munus incumbit.

4o Exhortamur omnes prædicatores ad orationem defigendam in dogmate aeque ac in moralibus. Sic solummodo solidum fundamentum subjicient religiosæ institutioni.

5o Desiderium Nobis est ut, in diariorum dominicalium libro (*livre de prônes*), parochi singulis dominicis festivisque diebus argumentum sermonis notent, et prædictum librum Nobis in pastorali visitatione porrigant.

Cap. XVI. De Catechismo.

1o Jubemus catechismum assidue ordinari quavis dominica per annum, aestivo tempore in ecclesia per integram horam, et hyeme in sacristia. (I. *Conc. Queb.*) Quantumvis exiguus assistentium sit numerus, nullo modo cessabunt parochi nec prætermittent saeviente hyeme, nisi cum a nobis dispensati fuerint.

A calendis tamen januarii ad primam diem aprilis fas erit contrahere intra dimidiam horam.

2o Minor catechismus pueris nondum ad primam communionem adscriptis tradetur, et major illis jam ad sacram synaxim accedere permissis.

Cap. XVII. De Prima Communione.

1o Quilibet parochus catechesim docebit et tractet diebus quinque vel sex in hebdomada saltem per unum mensem et dimidium ante primam communionem,et quotidie terebit ad minus quatuor horas in hoc munere. Juvaret communiter proscholis (*moniteurs*) quibusdam mandatum dare exigendi recitationem doctrinae quam pueri tradiderunt memoriae, parocho sibi praecipuum faciente munus explanationes dandi.

2. In spiritualibus exercitiis versabuntur pueri per dies tres antequam admittantur ad s. synaxim.

3. Praestabiliorem arbitramur diem haud dominicam ad pueros convocandos pro simultanea communione. Multum confert ut haec sacra solemnia abundent splendidissimo apparatu. Ne fortuitum oriatur incendium, dehortamur ne pueri accensas candelas asportent.

4. Libenter licentiam damus parochis ut liturgicam benedictionem SS. Sacramenti in hac die instituant, sive post meridiem, sive cum absolvitur antemeridiana celebratio.

5. Non assentimur inductioni moris ut pueri nondum expleto anno decimo ad sacram communionem admittantur, quanquam valde periti et modesti, instante morte excepta.

CAP. XVIII. DE SCHOLIS.

1. Magnopere suadendum est ut parochi, cum scholas adeunt, exigua praemia laboris dispensent causa illis fovendi, et diligenter adsint semiannuae interrogationi alumnorum.

2. Ne praesumat parochus quivis se comparare et consilia capere, Nobis inconsultis, ut academiam, conventum sive collegium constituat in sua parochia; cum de re tam gravi assensu nostro illi opus sit.

3. Juvenes, saltem per unum annum cum primo sacram communionem susceperunt, stricte jubere debent parochi adsistere catechesibus, et eorum parentes hoc invigilare, nisi gravi et legitima causa excusentur.

CAP. XIX. DE DIŒCESANIS OPERIBUS.

1. Societatem *pro fide propaganda* unusquisque parochus inter fideles sibi commissos tueri et diffundere debet, in quantum potest, illos utique in decurias socios adjungendo. Summum elapso mense octobri exhibeat rationem et pecuniam transmittat diœcesanae administrationi (*conseil diocésain*).

2. Pro Papa in quacumque ecclesia et capella, die festo Sti. Petri, stips corrogetur; ast, si in Gaspesia (*Gaspésie*) occasio non videatur propitia, ad secundius tempus prorogetur.

3. Associationis *St. Francisci Salesii* institutio in singulis parœciis et missionibus magnopere refert, potissimum ut Seminarii diœcesani necessitatibus occurratur. Cum summa fiducia præsentimus omnes omnino fideles in illa se socios addituros. Vertente anni fine collecta pecunia remittenda est diœcesanæ thecae (*Caisse diocésaine*).

4. Ut conferatur pecunia ad annuam in Seminario sustentationem alumnorum parcis facultatibus suppeditorum, ex mandato nostro in singulis ecclesiis bis in Adventu efflagitetur auxilium fidelium.

Cap. XX. De Annuis Relationibus super statu parœciarum.

1. Ante calendas septembris mittendæ sunt ad Nos istæ relationes, et in distinctis foliis pro singulis locis respondere debent parochi et missionarii articulis in opere *Appendice ad Rituale* promulgatis.

2. Anticipari debet haec relatio et Episcopo ipsi porrigi, anno quo fit in aliqua parochia vel missione pastoralis visitatio.

Cap. XXI. De Collationibus Ecclesiasticis.

1. Ordinationes nostras servare debent sacerdotes quoad modum collationes ecclesiasticas habendi et relationes earumdem conficiendi.

2. Statutis temporibus istæ relationes collationum transmitti debent a præsidibus et secretariis.

Cap. XXII. De Juniorum Presbyterorum Examine super theologiam et de Orationibus scripto redactis.

1. Juniores sacerdotes præsto sint ut respondeant ad interrogationes de theologicis materiis et ut scriptas orationes exhibeant, secundum 1i. Conc. Quebec. decretum. Si a Nobis ob certam causam a sustinendo examine eximantur aliquo anno, tenentur nihilominus sese offerre in alio insequente anno ut de omissis examinentur.

2. Usque dum aliter provideatur, materia primi examinis erit de *Ecclesia*, secundi de *Regula fidei*, tertii de *Incarnatione*, quarti de *Gratia* ; quem ordinem cuncti observare debent.

Cap. XXIII. De Societate pro Infirmorum Sacerdotum sustentatione.

1. Enixe omnibus diœceseos sacerdotibus suademus ut adscribantur societati vulgo nuncupatæ *Caisse de retraite*, seu *Société Ecclésiastique de S. Germain* ; quæ subsidium quoddam suppeditat cosacerdotibus ægrotantibus vel senio confectis.

2. Fideliter et sedulo quotannis unusquisque solvat compositam contributionem in manus thesaurarii.

Cap. XXIV. De Titulo Clericali.

1. Qui ordines suscipiunt ad titulum patrimonii sui, in hac diœcesi, sibi copiam facere debent annui redditus octoginta saltem nummorum (*piastres*).

2. Fundus qui spondet pro hac summa, liber esse debet ab omni hypotheca.

II. DE CAPITULO ECCLESIÆ CATHEDRALIS.

Institutio Capitulorum antiquissima sane ac venerabilis ab apostolicis temporibus exordium sumpsit. Uti ecclesiæ senatus et consilium Episcopi, non antiquo tantum sed etiam novo jure Canonici habentur.

Gratissima igitur Nobis evenit possibilitas constituendi Capitulum in ecclesia cathedrali nostra ex præscriptione Ecclesiæ, et secundum tam litteras Apostolicas in forma brevis, Romae datas die XVI. Jul. 1852, quam instructiones illis adjectas.

Sacerdotibus undecim tum inter familiares, tum in seminario, tum inter parochos sumptis, litteras collationis canonicatuum, vertente fine anni 1877, tradidimus : et, adveniente die 15 januarii insequentis, ad eorumdem Praepositi et Canonicorum installationem processimus.

Nunc Nobis remanet ut in Synodo diœcesana expressam Ecclesiae mentem de Capitulo ecclesiae cathedralis exponamus.

Essentialis et primarius finis Capitulorum ca-

thedralium ecclesiarum est auxiliari et supplere Episcopis in ecclesiarum suarum diœcesium regimine: *auxiliari*, cum plena sit sedes; *supplere*, nempe cum vacat.

Insuper ad persolvendum divinum officium, ad associandum Episcopum eidemque celebranti aut alia pontificalia exercenti inserviendnm (*Conc. Trid. Sess.* 24 *c.* 12. *de reformatione*), cum praesentes esse possunt, tenentur Canonici.

A Sanctae Sedis Apostolicae benevolentia obtinuimus indultum diei 30ae. martii currentis anni, quo Canonicis ecclesiæ cathedralis nostrae concessa est facultas gestandi habitus atque insignia quae gestantur ab aliarum ecclesiarum provinciae cathedralium Capitulis, id est: "pro habitu ordinario tunicam " nigram cum fibulis et fissuris, parvis capulis et col- " lare violacei coloris, caligas ejusdem coloris et annu- " lum pastorale (gallice vero : *anneau pastoral, soutane* " *noire avec les boutons et les boutonnières, les parements des* " *manches et le collet de couleur violette, et les bas de même* " *couleur*); et in choro, cappam cum pellibus albi coloris " super rocchettum."

Illis a clero et a fidelibus debentur honor, reverentia et studium.

Cum nulla fundatio seu dotatio usque nunc existat in favorem dicti Capituli, speramus fore ut pro adjunctis temporum applicentur a christifidelibus et clericis, abundanter bonis temporalibus instructis, summæ quarum proventibus ad sustentationem suam residentes Canonici utantur.

III. DE SEMINARIO.

Quanti momenti sint Seminaria ad fovendas et informandas vocationes ad clericalem statum, ostenditur ex verbis Tridentini Concilii (*Sess.* XXIII, *c.* 18.) ad tales institutiones erigendas impellentis :–" Cum," inquit, " adolescentium aetas, nisi recte instituatur, " prona sit ad mundi voluptates sequendas, et nisi, a " teneris annis ad pietatem et religionem informetur, " antequam vitiorum habitus totos homines possideat, " nunquam perfecte ac sine maximo ac singulari pro- " pemodum Dei omnipotentis auxilio, in disciplina " ecclesiastica perseveret......"

Patres V. Concilii Provinciæ Quebecensis illam in mente habentes sollicitudinem qua Tridentinum Concilium vult " certum puerorum numerum, quo- " rum indoles et voluntas spem offerat eos ecclesias- " ticis ministeriis perpetuo inservituros, a primis an- " nis eligi, religiose educari et ecclesiasticis disciplinis " institui," sequens ediderunt Decretum :

" *De vocatione ad clericalem statum.*

" Nihil certum est ad propagandum Dei regnum " utilius, nec ideo indefessis sacerdotum curis digni- " us esse, quam vocationes ad clericalem statum ma- " ture et sedulo colere. Vestigia ergo secundi hujus " Provinciae Patrum prosequentes, hortamur in Domi- " no omnes presbyteros, præcipue vero parochos et " seminariorum directores, ad istas vocationes inde- " sinenter et omni modo fovendas ac tuendas, tum " apud parentes, tum apud alumnos, tum privatis " colloquiis, tum in directione spirituali, tum ex pro-

" pria pecunia, tum ex quorumdam divitum fidelium " abundantia."

Illa vota, quæ jam facilem in cordibus nostrorum in ministerio divino cooperatorum viam invenerunt, eorum animos magis ac magis pervadere cupimus, ita ut efficaciter et diligenter opus Dei fiat, quum messis sit multa, operarii vero pauci. Ad talem finem attingendum, curae et conatus haud levia jamjam, in hac diœcesi, adhibita fuerunt, voluntatibus omnium libenter et laudabiliter in hoc conspirantibus ut aedificaretur Seminarium nostrum, non adhuc quidem completum, sed, ut stat, nunc pridem educationis necessitatibus satis bene accommodatum.

Valde optandum est ut zelus erga tam gravem causam hucusque exhibitus, nedum refrigescat, novo potius semper ardore augeatur, opes inveniantur quibus perficiatur ædificium, media suppeditentur quibus firmetur et stabiliatur illius existentia et inde diœceseos commodum promoveatur.

Praesertim ad hunc laudandum finem assequendum adjuvabunt sive bursarum fundatio favore egenorum alumnorum, sive collectae ab Ordinario indictae, sive inscriptio Confraternitati vulgo nuncupatae : *de S. François de Sales*, omnibus adaptatae et ab omnibus favendae.

IV. DE PAROCHORUM TRANSLATIONE.

Cum presbyterum aliquem a parochia ipsi commissa ad alteram transferimus, mentem nostram in scripto exprimimus.

Sed cum quædam dubia aliquando supervenerunt, rem planiorem reddere elucidatione hic incumbemus.

Pro explorato sane habemus parochum jurisdictione accingi a momento quo, juxta jus (*Ex Extrav. comm. Injunctæ I. de electione. Craisson, Man. Tot. Jur. Can. No.* 384, 385), litteras institutionis ostendit. Ne tamen fideles sine missa una vel pluribus festivis vel dominicis diebus absque necessitate relinquantur, determinatam dominicam vel festum in quo provisus sacerdos functiones curiales incipere tenebitur definimus in litteris quibus parochiæ præficitur.

Si paulo in antecessum etiam mittimus institutionis litteras, plane hoc spectat ut sacerdos temporalia omnia spiritualiave expedire negotia queat, priusquam novæ parochiæ possessionem acquirat, ad nutum nostrum tamen revocabilem.

Sed jurisdictio regulariter incipit cum in ecclesia coram populo leguntur litteræ institutionis; nihil tamen refragante quominus parochus, qui primus promovetur ad novam ecclesiam, vel qui in parochia advenit cum antecessor facultatibus orbatus est parochiamve dereliquit, possit illico facultates curiales exercere etiam ante ostensionem litterarum.

Quoad vero bona ecclesiæ et supellectilia, jam statutum est (*Appendice au Rituel, p.* 126.) synopsim seu inventorium bonorum sive mobilium sive immobilium ostendi debere Episcopo, cum parochiam visitat: ast, cum transfertur parochus ad aliam parochiam aut abit non repetiturus pristinam, inventorium

compleře debet et successori relinquere vel exhibere, ut ambo illud recognoscant et subscribant, coram testibus ad id vocatis.

Mandamus vicariis foraneis archipresbyterisque ut his attendant;—imo, cum fieri potest, installationi cujusque novi parochi, in suo districtu, adsint, et publice in ecclesia die fixo legant litteras quibus hi nominantur.

Quod ad antiquum parochum pertinet, si adhuc in parochia remanet, potest facultates ordinarias cum venia novi parochi exercere, dummodo hanc licentiam expresse non retraxerimus.

V. DE CASIBUS RESERVATIS.

Animadvertere debent tam clerici quam fideles quæ a Conciliis Provincialibus Quebecensibus statuta sunt de quibusdam peccatis quorum absolutio Episcopis reservata est.

In V. Provinciali Concilio reservari declaratum est peccatum perjurii in genere

Super hoc et aliis reservatis, volumus ut, quoad facultates ab archipresbyteris et aliis presbyteris in sacro tribunali exercendas, bene intelligantur termini in decreto XIII dicti V. Concilii Provincialis positi. (*parag.* 1, 2, 3, 4, 5, 6 et 7.)

Nunc enim non solum vicario nostro generali et vicariis foraneis, sed et cuique archipresbytero conceditur facultas absolvendi reos, in territorio in quo jurisdictionem habent, " ab omnibus casibus,

" sive papalibus quae ex jure communi Episcopis " reservantur, sive expresse Nobis reservatis."

In eodem decreto enumerantur casus in quibus a dictis casibus reservatis quivis sacerdos absolvere potest in territorio in quo jurisdictionem habet. Volumus hanc regulam vigere in nostra diœcesi.

Nec obliviscantur confessarii Summo Pontifici exclusive reservari quædam in bulla *Sacramentum Pœnitentiæ*, seu absque censura, seu sub excommunicationis pœna.

VI. DE RELATIONIBUS PRESBYTERORUM CUM MULIERIBUS.

In primo hujus provinciæ Concilio commonentur sacerdotes " ne cum mulieribus ullam consuetudinem " habeant; nec domi apud se retineant, nisi matrem " aut sororem, aut amitam, neque sibi famulas exci- " piant vel retineant nisi provectæ ætatis et famæ " illibatæ, de quibus nulla possit haberi suspicio."

In prima vero Synodo nostra (juxta receptam sacrorum Canonum interpretationem et temporis circumstantias) " prohibuimus stricte ne presbyteri " famulas aliasve mulieres apud se haberent neve " domi retinerent minus quam triginta et quinque " annis provectas, sine nostra speciali licentia. Sta- " tuimus insuper licentiam istam quotannis reno- " vandam esse sub pœna suspensionis ipso facto " incurrendæ, etiamsi hæ mulieres propinquæ sint, " excepta matre, amita et sorore."

Nunc autem, ne quidam scrupulis impediantur

sacerdotes,si vel tantulum illius licentiæ renovationem petere neglexerint, hanc pœnam removendam arbitramur et removemus. Sed ideo nullo alio relaxamus modo salutarem disciplinam hic expressam.

VII. DE CURA IN INQUIRENDO SUPER BAPTISMI COLLATI VALIDITATEM.

In diœcesi nostra, Deo sic misericorditer concedente, plures haeretici a variis locis provenientes et ad multiplices sectas pertinentes ab errore ad fidem catholicam convertuntur. Aliquando facultate illos ab haeresi absolvendi nacti, presbyteri anguntur dubio num unquam aut valide collatus fuerit baptismus illis neo-conversis, et forte consilium capiunt rebaptizandi omnes haereticos ad fidem reductos, (*Gury*, *Casus conscientiæ*, *No* 207.) ut eorum saluti prudentius provideatur.

Attamen non ita sentit cauta Ecclesia: vult et mandat " ut in singulis casibus instituatur examen. " Si compertum fuerit aut nullum aut nulliter col- " latum fuisse, sane baptizandi sunt absolute.—Sed, " investigatione peracta, si pro tempore et locorum " ratione, nihil sive pro validitate, sive pro invalidi- " tate detegatur, aut adhuc probabile dubium de " baptismi validitate supersit, tum sub conditione " secreto baptizentur. Demum si constiterit validum " fuisse, recipiendi erunt tantummodo ad abjuratio- " nem seu professionem fidei." (*Resp. S. C. U. Inq.-dat. die* 20 *nov.* 1878).

Quoad supplendas caeremonias, non idem ritus

servandus est, cum agitur de adulto valide post nativitatem baptizato, omissis caeremoniis, ac cum haereticus ad fidem catholicam conversus baptizandus est sub conditione, ob dubium fundatum de validitate baptismi ipsi collati. Nam in primo casu: " caeremoniae et preces servantur quæ in Rituali assi-" gnantur pro baptismo infantium " ; (*Resp. S. R. C.* 27 *aug.* 1837, *ad* 3), et in secundo casu: " quatenus " supplendæ sint et supplendæ credantur caeremoniæ, " illæ supplendæ sunt, quæ pro adultorum baptismo " sunt præscriptæ." (*Ibid. ad* 4)

Bene advertendum est Rituale Romanum (*In Gardellini. Decreta Cong. S. R. No.* 4780, *in notis,*) hæc habere de baptismo adultorum: " Omissa tantum " suppleantur, nisi rationabili de causa aliter Episco-" po videatur." Datur igitur casus quo Episcopus possit dispensare a supplendo omissas caeremonias, si quæ sint rationabiles causæ ipsum ad has ipsas omittendas moventes.

VIII. DE DEBITA AD MATRIMONII SACRAMENTUM PRÆPARATIONE.

Parentes, juvenes et pastores queunt et debent singuli sua opera conferre ad dignam matrimonii receptionem.

Nam memores sint confessarii " nunquam absol-" vendum esse pœnitentem qui recusat deserere occa-" sionem proximam voluntariam peccati." (*Praxis confess.* 65.)

Juvenes vero et parentes notent "omnes semper "conatus adhibendos esse ut, quantum fieri potest, "resecetur proxima occasio." (*Gury. Theol. mor. No.*631.)

Et si opus sit testimonio expertorum, audiamus divum Ligorium : "Experientia," ait (*Praxis Confess.* 65), "constat ut adolescentes et puellas, qui invicem "se adamant, difficulter esse extra occasionem proxi- "mam lethaliter peccandi ; nam ex centum vix duo "vel tres in occasione mortalibus inveniuntur immu- "nes, et si non in principio, saltem in progressu. A "propensione in passionem incidunt ; et passio, post- "quam radicem in corde fixerit profundam, mentem "obtenebrat et illos in mille crimina ruere facit."

Inde in prima Synodo normam sequendam in istis casibus confessoribus suasimus, cum parentes et juvenes culpabiliter agentes declaravimus coercendos esse ad recipiscendum "*sub denegationis sacramentorum pœna.*" Subintelligendum tamen evidenter erat illis denegenda esse sacramenta, solum *si in suo agendi deplorando modo persisterint.*

Similiter excessus in colloquiis repetitis et protractis noctu et in colloquiis secretis a juvenibus petitis, interdicere debet confessarius ex judicio proborum virorum, et ex periculo in quo versatur persona cujus audit confessionem.

Sed quoniam potius principiis obstandum sit, parochis et curam animarum gerentibus nihil non est emolliendum :

1. Ut adolescentes ad assiduum sacramentorum

usum, saltem singulis mensibus, artibus quas zelus suadebit, alliciantur ;

2. Ut cum juvenum confessiones audiunt, seu etiam in publico cum ad illos de eligendo statu vitæ verbum faciunt, omnibus inculcent necessitatem enixas ad Deum preces et supplicationes offerendi, ne decipiantur suis pravis inclinationibus, et ne misere et inconsulte in matrimonio uniantur, totam vitam conjunctissime et inseparabiliter simul infelicem ducturi ;

3. Ut adolescentibus persuadeant probas, modestas et solertcs uxores a Deo instanter petere. Ad tantum beneficium acquirendum, ad inveniendum tam excellens bonum, nulli conatui parcant juvenes illi,indesinenter in mente volventes maximam existere diversitatem inter bonorum sponsorum felicitatem et pravorum conjugum incongruentiam.—Puellæ vicissim in maritis maxime bonos mores, religionis venerationem et praxim, sobrietatem ac laboris studium repetant.—In hoc essentiali puncto iterum et iterum insistant pastores ;

4. Ut hortentur parentes ad sedulo invigilandum et detegendum insidias quibus in leves et insanas amicitias inducuntur adolescentes saepe praemature, et in ruinam dejiciuntur culpa eorum qui curam habebant inexpertorum. Constanter renuant in suis domibus permittere circulos vel coetus juvenum cum puellis, cum ipsi praesentes non sint ;

5. Ut summis industriis, ardenti zelo dictatis, juvenes et puellas ad matrimonium praeparent pastores,

etiam mediantibus spiritualibus exercitiis, absolutione et sacra communione idonee receptis, ac elaboratis explicatisque colloquiis, optime illis significantes Salvatorem nostrum Jesum-Christum, Beatam Virginem et Sanctos Apostolos invisibiliter nuptiis omnium egregie compositorum invisibiliter adsistere, perinde ac visibiliter nuptiis Canae factis interfuerunt, sponsis illis vitae ratione dignatis hac insigni indulgentia;

Tandem 5. ut, ad assequendam talem finem a juvenibus ad matrimonium accinctis requirant obsequentiam in ponderandis confessarii et etiam parentum consiliis de praeparatione animae, priusquam publica fiat in ecclesia denuntiatio eorum desponsationis.

IX. DE CHOREIS.

In I. Synodo practicas regulas breviter exposuimus quas suadebat desiderium animas salvandi et ab illa nefanda peccati occasione avertendi præsertim juvenes et puellas adhuc sub potestate parentum existentes.

Zelo tamen accensi, cum viderint depravatos mores plurimorum, quidam confessarii severiorem praxim sequebantur, qui etiam in paschate recusabant ad sacramenta admittere juvenes et puellas, solum quod saltaverint, nulla habita ratione adjunctorum.

Ideo in I. Synodo vetavimus ne tales nimis severe tractarent, nedum approbaverimus illorum con-

fessariorum agendi rationem. Facile pariter intelligi potest quod non limitaverimus ad tempus paschale jus recipiendi sacramenta erga illos qui, *modeste et non immoderate saltando*, se non reddiderint indignos.

Hanc ergo regulam et alias in isto Statuto (XX) interpretandas volumus secundum sensum theologorum, et inprimis S. Alphonsi de Ligorio (*lib. IV.* 429, etc.)

Ast non negligenda sunt media obstandi huic imminenti periculo perversionis, omnibus praebendo momenta quibus in istius pravi oblectamenti horrorem inducantur, et graviorum auctorum opiniones.

Nulli dubium subesse potest quin per choreas faces libidini subjiciantur. Quanti enim inveniantur stimuli in vestibus minus honestis, in musica, in verbis, in aspectibus, in muliebribus lasciviis, et etiam in manuum tactibus, non ægre intelligitur.

Audiamus de his Doctorem novum Ecclesiae, S. Franciscum Salesium, cum requirit ut "choreae modestia, dignitate et recta intentione accommodatae sint."

"Animum devotum, ait Episcopus Genevensis, " (*Introduction à la vie dévote, part* 3. *ch.* 33.) disolvit, " vires debilitat, charitatem refrigescit, et pravarum " affectionum mille species irritat chorea.

"1. Dum saltas, non paucis in aeternis flam- " mis cremantur ob peccata in saltando vel occasione " saltationis commissa.

"2. Interea, longe dispares, religiosi et devoti

" viri ante Deum adstant, illius laudes psallant et " infinitae perfectionis illecebras contemplant.

" 3. Haec vana dum agis, evanescit tempus, accedit mors et te ad saltandum convocat."

Quis talia mente evolvens credet secure choreis indulgere posse ?

X. DE MELIORI GREGIS PARTE.

Quivis spiritualibus negotiis addictus et zelo animarum affectus, consentiet proficientiam justorum in virtutibus et conversionem peccatorum magna ex parte pendere a bono exemplo ; nihil idcirco tam utile quam existentia in qualibet parochia fidelium animarum pietatem colentium.

Non utique multas fideles animas in parochia invenit pastor, gratiam postulantes et misericordiam implorantes a benignissimo Salvatore. Minime aliquando apparet in numerosa parochia haec melior pars gregis. Conari ergo debet sacerdos inprimis ut certus numerus piarum personarum colligatur ex electis, permaneat, provehatur et crescat.

Ad hunc finem obtinendum, singula non negligenter tractet ; sedulo e contra illi attendendum est ut in ecclesia sua erigatur saltem una confraternitas in honorem Immaculatae Virginis, et, quantum possibile est, vigeant sodalitates Sacrae Familiae, Sti. Joachim, Sti. Joseph, et Filiarum Mariae ad diversorum ordinum utilitatem.

Invitentur insuper piae istae societates ad ineun-

dam fœderationem quamdam precum quae vocatur *Apostolatus Orationis*, memores pro onere minime haberi posse suarum intentionum unionem cum intentionibus SS. Cordis Jesu pactam. Hos sodales exhortetur parochus ad hunc amantissimum Salvatorem constanter deprecandum, ut illuminet caecitatem mentis claritate praesentiae suae, accendat frigiditatem eorum igne amoris sui, vertat ipsis omnia terrena in amaritudinem, omnia gravia et contraria in patientiam, omnia infima et creata in contemptum et oblivionem. (*De Imit. Chr. lib. IV c. XVI.*)

Dignum et justissimum est etiam ut Cor Jesu speciali cultu honoretur. In omnibus etenim saeculis, illud amoris objectum, adorationis et confidentiae terminum,intenderunt discipuli Christi.Centrum et symbolum tenerae dilectionis est, quae misericorditer et generosius tam magna fecit nobis. *Vix enim pro justo quis moritur : commendat autem charitatem suam Deus in nobis ; quoniam, cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est.* (*Rom. V*, 7.)

In illo divino Corde conceptum est consilium nostrae salutis; hoc novi fœderis tabernaculum terram cœlo reconciliavit : super istud holocausti et aromatum altare aeternus Pontifex suae mortis sacrificium *in odorem suavitatis* obtulit et continuo offert, ardetque ignis charitatis *quæ nunquam excidet;* in hac tabula aurea Jesus cœlestem cibum sui corporis animas nostras aliturum praeparavit ; in illo fonte divino nobis datur *haurire salutis aquas in gaudio* (*Isai XII*, 3) : (*Appendice au Rituel*). Et ne debiles deficiant in via, nec cuivis desint aquae in vitam aeternam salientes, sua-

viter compellantur omnes ut ad hoc divinum pabulum frequenter accedant, illud in remedium salutis suae recipientes. Dominus enim amanter dixit: "*Nolo eos jejunos dimittere in domum suam.*" Scit misericors Salvator quod plurimi saepe labuntur et peccant, cito torpescunt et deficiunt; corporisque sui per frequentem perceptionem omnes renovat et mundat.

Grati fideles pro tantis beneficiis, offerant persaepe communiones, ut ignis cœlestis omnia pariter incendat, a cordibus eorum omnem suspicionem, indignationem, iram, discrepationem, et quidquid potest caritatem laedere vel fraternam dilectionem minuere, auferat; tandem et super omnia, reparet, expiet et deleat omnia sacrilegia et contra Sanctissimum Sacramentum injurias, imprecationes et falsas impiorum et haereticorum doctrinas.

Ut, eodem stimulo instigati, assiduos adoratores venerabilis Eucharistiæ multi sese præstent, parochi maxime elaborabunt, cultum ejus perpetuum tuentes, et fideles excitantes ad præstantissimam illam devotionem. (*I. Syno. diæc. De veneratione ac devotione S. Eucharistiæ exhibendis.*)

Tandem egregium medium salutis sibi parabunt et innumeras gratias conciliabunt pastores, si in quindenos circulos formentur fideles ad Rosarium vel Rosarii partem quotidie recitandum simul aut seorsum, cogitantes dum precantur, de aliquo mysterio vitæ, mortis et resurrectionis Domini Nostri. Sic aliunde edocebuntur aliquo modo utile meditationis exercitium et in eo proficient.

XI. DE MATRICULARIIS (*Marguilliers.*)

Patres II. Concilii Provincialis Quebecensis plura sapienter de administratione bonorum ecclesiarum statuerunt, et peculiariter ut " fabricarum regimini " non præponantur nisi viri selecti, probatæ religio- " nis et huic officio idonei."

Hoc studium strenue diligentiquae curæ parochorum mandaverunt Episcopi, volentes " ut etiam invi- " gilent continuo ecclesiarum rectores ne pereant bo- " na temporalia ecclesiarum suarum recteque admi- " nistrentur. (*De administratione bonorum ecclesiarum.* 2 *et* 4.)

Multum interest igitur ut seligantur matricularii idonei, boni nominis,et quorum possessiones pares sint ad spondendum et cautionem interponendam de solvendis summis ab eisdem acceptis. (*Droit ecclésiastique et civil.*)

Meminerint matricularii ex justitia propria bona sua pignorari in securitatem pecuniarum ecclesiæ, dum rationem reddiderint.

MANDATUM

PRO DIŒCESANÆ SYNODI SECUNDÆ CONSTITUTIONUM PROMULGATIONE

JOANNES LANGEVIN,

Miseratione divina et Sanctæ Sedis Apostolicæ gratia primus Episcopus Sancti Germani de Rimouski, Dilectissimis Cooperatoribus nostris, et omnibus de clero filiis,

SALUTEM ET BENEDICTIONEM IN CHRISTO JESU

Nuper habitæ secundæ nostræ Synodi jam impressæ sunt Constitutiones, quas nunc studio et meditationi vestræ, dilectissimi Fratres, gaudentes offerimus. Undecim sunt; prima vero viginti quatuor capita complectitur.

Ista Statuta, tum ad propriam vestram vitam sacerdotalem confirmandam, tum ad sacra munia rite obeunda, tum ad quosdam in parœciis abusus excessusve reprimendos, tum denique ad promovendam plebis nobis commissæ sanctificationem diriguntur. Ante et per Synodum sedulo examinata et discussa sunt, emendata et completa. Iterum ergo atque iterum ea percurrite, in memoriam alto fingite, in praxim reducite.

Ad pedes Beatissimæ et Immaculatæ Virginis Mariæ, Sti. Josephi Stæque. Annæ, ejus Sponsi et Matris, ac Sancti Germani, hujus diœcesis patroni, humiliter

has Constitutiones deponimus, confidentes quod Illorum potenti ope uberes inde salutis fructus oriundi sint.

Volumus insuper et mandamus ut unusquisque de clero nostræ diœcesis exemplare harum Constitutionum secundæ Synodi diœcesanæ apud se habeat et in omnibus servet.

Datum apud Stum. Germanum de Rimouski, ex ædibus nostris episcopalibus, sub signo sigilloque nostris, ac Secretarii nostri subscriptione, trigesima die novembris, anno Domini millesimo octingentesimo septuagesimo nono.

L. S. † JOANNES, EPUS. STI. GNI. DE RIMOUSKI

De mandato Illmi. ac Revmi. DD. Eppi.

C. A. CARBONNEAU, Can.,

Secretarius.

INDEX

ERRATA

Pag. 15, *lin*. 23, tria *pro* quatuor.

Pag. 15, *lin*. 26, taxa *pro* taxatione.

Pag. 16, *lin*. 2 *post* paraeciarum *adde* de collationibus ecclesiasticis.

Pag. 18, *lin*. 5, incitamus *pro* incitabimus.

Pag. 18, *lin*. 25, tranquilitate *pro* tranquillitate.

Pag. 26, *lin*. 22, *ante* pestilentiae *adde* exceptis.

